

perfectum. Quocirca, supposita historia quam in capite hujus disputationis præmisimus, verisimile mihi est B. Virginem non rediisse a templo in domum parentum, qui fortasse jam mortui erant, ut Cedrenus refert in Compendio historiæ; sed post expletam omnem matrimonii solemnitate, ab ipsis sacerdotibus immediate datam esse Josepho, ut Gregorius Nyssenus et alii Patres ibi citati indicant.

## SECTIO III.

In qua ætate Joseph et Maria matrimonium contraxerint.

1. Quod ad B. Virginem attinet, Joannes Annius, recens chronographus, dixit B. Virginem peperisse Christum ante expletum decimum quartum annum, unde necessario fit consequens fuisse nuptam decimo tertio ætatis anno nondum peracto. Nam (ut antiqua historia, et Patres citati in initio hujus disputationis referunt), B. Virgo concepit filium quarto mense a desponsatione sua. Quam sententiam sequitur Driedo, lib. 3 de Dogm., tract. 3, c. 5, p. 4, in fine. Alia vero extrema sententia est Cajetan., Luc. 1, qui probabile credit fuisse Virginem viginti quatuor annorum, et certum putat, ut minimum habuisse decem et novem annos quando filium peperit. Ex quo, eodem argumento colligitur, uno anno et paulo amplius ante illam ætatem fuisse nuptam. Movetur autem Cajetan. sola conjectura, scilicet, ut esset firmo et perfecto corpore ad concipiendum filium.

2. Virgo decimo quarto ætatis inchoato anno Josepho nupta.—Communis tamen probabiliorque sententia est, Virginem fuisse nuptam paulo post inchoatum decimum quartum annum; undecim enim fere annis in templo mansit, et tunc tradita fuit Josepho, et post quatuor menses Angelicum nuncium habuit; agens vero decimum quintum annum filium peperit. Ita refert ex Evodio Nicephor., lib. 2 Histor., cap. 3; et ejusdem sunt sententiæ Gregorius Nyssen., Damascenus, et alii supra citati, quorum auctoritas majorem fidem facit, quam conjectura Cajetani. Ætas enim quatuordecim annorum sufficiens est, et aptissima in femina ad concipiendum filium; præsertim si habeat corpus optime dispositum, quale erat corpus sanctissimæ Virginis; et ita ex recentioribus sequuntur hanc sententiam Abulens., Matth. 2, q. 101; Joannes Lucidus, tractatu de Vero die passionis

Christi, et alii, qui annales vel chronologias scripserunt.

3. Josephus non erat senex quando Mariam duxit uxorem.—Secundo, de ætate S. Joseph fuit sententia Epiphani, hæres. 78, eum fuisse ut minimum octogenarium, quando Virginem duxit. Sequitur Niceph., lib. 1 Hist., cap. 7; et Abulens., super c. 7 Isai., et paradoxa 1, c. 8, et in 2, c. 73, et Matth. 1, q. 32, Numer. 30, q. 31; et Joan. Gerson, serm. de Nativit. Mar., consider. 3; Viguerius, in Institut., c. 2, § 9; Cedrenus, in Compendio historiæ. Huic sententiæ favet antiqua pictura, quæ non contemnendam auctoritatem habere solet. Et confirmari potest, nam B. Joseph mortuus est fere duodecimo anno ætatis Christi; ergo verisimile est eum fuisse valde senem quando Christus natus est, et similiter quando Virginem duxit. Sed hæc sententia probari certe nullo modo potest. Primo, quia decuit ut in matrimonio illo servaretur ea proportio inter virum et uxorem, quæ communi usu et consuetudine servari solet. Secundo, quia oportuit ut Joseph esset in ætate ad generandum idonea, quia alias non posset sub illius umbra, fama et æstimatio Virginis illæsa servari. Tertio, oportuit ipsum esse viribus valentior, ut posset tot peregrinationes sustinere, et ad familiam suam alendam et sustentandam laborare; ad hos ergo fines ætas octogenaria erat valde improporcionata. Quarto, quando Sancti et Doctores dicunt S. Joseph simul cum B. Virgine post matrimonium contractum virginitatem vovisse, certe supponunt illum non fuisse senem, neque ad actum matrimonii ineptum. Et augetur hæc conjectura, ex eo quod docent Joseph permansisse virginem et in cœlibatu usque ad desponsationem cum Virgine. Nam, cum juxta consuetudinem illius populi fere omnes uxores ducerent, non est admodum verisimile expectasse Joseph tam longum ætatis tempus ad uxorem ducendam. Quinto, etiam Scriptura nonnihil favet, nam Luc. 1 dicitur: *Angelus missus ad Virginem desponsatam viro, non seni; et c. 3: Ut putabatur filius Joseph.* Profecto, si ille octogenarius fuisset, vel non tam facile hæc fama percrebuisset, aut certe Virgo in suspicionem aliquam venisset. Unde Isai. 62, de tempore adventus Messie dicitur: *Habitabit juvenis cum Virgine*, quod non incommode ad hoc mysterium applicant Glosordinar., et Nicol. Lyr. Tandem, nullum est fundamentum ut contrarium credatur, quia nulla est historia, nullaque ratio decentiæ aut

castitatis hoc requirit. Quia quod ad exteriorem speciem attinet, nullam indecentiam habet quod Virgo habitet cum juvene, aut saltem viro mediocri et maturæ ætatis, sponso ac marito suo, præsertim cum ipsum matrimonium ad hoc fuerit ordinatum, ut talis Virgo existimari posset ex viro suo concepisse. Quod vero spectat ad rem ipsam, id est ad observandam castitatem utriusque conjugis, non erat necessaria senilis ætas, sed Spiritus Sancti robur ac virtus; alioquin non tam fuisset virtutis opus et voluntatis, quam impotentia quædam. Quocirca, sicut Patriarcha Joseph, qui (teste Bernardo) figura fuit sponsi Virginis, in juvenili ætate perfectissime castitatem servavit, et fidelitatem domino suo, ita multo majori ratione de nostro sancto Joseph existimandum est.

4. Ætas Joseph quando Virginem in matrimonium accepit.—Certum ergo videtur Joseph non fuisse octogenarium, et verisimilius est non fuisse senem; qua vero ætate fuerit, juvenisne, vel vir triginta, quadragintave annorum, definiri non potest, cum ex historiis nihil habeamus. Solum ergo dici potest aptissima fuisse convenientissimæque ætatis; hoc enim ad Spiritus Sancti providentiam spectabat. Unde potius verisimile est fuisse maturæ ætatis quam juvenilis, quia (ut Sancti et historiæ referunt) B. Virgo illi data est magno consilio et providentia sacerdotum, potius ut illius virginitatem custodiret, quam ut violaret; et ideo verisimile est quævisse virum maturæ ætatis, prudentiæ ac virtutis.

5. Responsio ad argumenta in oppositum.—Et hinc facile respondetur ad conjecturas contrariæ sententiæ. Illa enim consuetudo picturæ propter quamdam decentiam et ad vitandam vulgi opinionem introduci potuit. Vel fortasse, cum Joseph esset maturæ ætatis, et vir justus, partim laboribus, partim corporis afflictionibus effecerat, ut provectionis quam revera esset ætatis appareret. Ad aliam conjecturam de morte ejus, quamvis verisimile sit (ut supra dicebam) ante trigesimum ætatis Christi annum fuisse vita functum, non tamen existimo statim post duodecimum annum obiisse. Dum enim Lucas, cap. 2, ait descendisse Christum post duodecimum ætatis suæ annum cum parentibus suis in Nazareth, et fuisse *subditum illis*, satis significat aliquot annis cum utroque vixisse, et non est incredibile vixisse Joseph fere usque ad annos prædicationis Christi, ut illum simul cum Virgine suis laboribus sustentaret. Nullum ergo

ex hac conjectura pro contraria sententia sumi potest argumentum, præsertim cum tam in minori quam in grandiori ætate homines mori contingat.

## DISPUTATIO VIII,

In duas sectiones distributa.

## DE SANCTO JOSEPH BEATÆ VIRGINIS SPONSO.

Quamvis in præcedenti disputatione nonnulla de hoc sancto viro dixerimus, quæ cum disputatione de desponsatione Virginis videbantur esse conjuncta, tamen et perfectio doctrinæ, et reverentia ac devotio illi debita, exactiorque ipsius mysterii expositio postulare videntur, ut explicemus quis et qualis fuerit sanctus hic Virginis sponsus, cujus genealogiam tam accurate scripsit Matthæus, ut nihil de illa dicendum nobis supersit, præter ea quæ supra, tractando de genealogia Christi et Virginis, attigimus. Quocirca, de iis quæ ad corpus ejus, seu naturalem conditionem pertinent, nihil dicemus; nam de ætate, virginitate, statu ac morte ejus satis in superioribus diximus. De arte vero, seu corporali munere, qua ad hanc vitam transigendam usus est, nihil dicere possumus, præter id quod in Evangelio indicatur, scilicet illum fuisse fabrum. An vero fuerit faber lignarius, vel ferrarius, incertum esse dixit Cajetan., Matth. 13, in fine. Nam Sancti ambigue loquuntur, ut videre licet in Ambr., lib. 3 in Luc., in princip., qui utrumque indicat; Hilar., can. 14 in Matth.; Ansel., Matth. 13; Bed., l. 2 in Marc., suo c. 23, qui indicant fuisse fabrum *ferrum igne vincentem*; Justino Dialog. cum Tryphone, longe a medio, qui indicat fuisse fabrum lignarium, et Christum illum interdum juvisse. Sed expressius id docet D. Thomas, Matth. 13; et ibi Lyran., Carthus.; Bonav., lib. Meditat. vitæ Christi, ad finem c. 15; Abulens., Matth. 13, q. 83, et alii. Quod licet ab eis non satis probetur, videtur tamen per se magis credibile, magisque consentaneum ac decens. Propter quod hæc opinio, veluti communis quædam conceptio omnium fere animis insedit. Omissis ergo his quæ ad corpus et externas actiones, seu fortunæ bona pertinent, solum dicemus de iis quæ ad animam spectant, et de dignitate ac munere ad quod divinitus electus est.

## SECTIO I.

Qualis fuerit dignitas in qua ex divina electione Joseph fuit constitutus.

1. Duobus modis possumus Josephi dignitatem explicare. Primo ratione absoluta, declarando proprietates, actus et nomina hujus dignitatis. Secundo ratione comparata, conferendo, scilicet, hanc dignitatem cum munere Apostolico, cum dignitate Præcursoris, et similibus, quæ ad status hominum vel ad gratias gratis datas pertinent. Nolumus enim comparisonem facere cum gratia gratum faciente, seu cum dignitate filii Dei adoptivi; supponimus enim sine ulla controversia, hanc infinita quadam ratione superare, ut a fortiori constat ex his quæ de dignitate matris Dei supra disputavimus.

2. *Joseph verus Mariæ sponsus.* — Prima igitur dignitas B. Joseph est, vere ac proprie fuisse Virginis sponsum, et excepto usu carnalis copulæ habuisse omnia jura et munera veri sponsi. Quam dignitatem inquit Damasc., Orat. 3 de Nativit. Virgin., concessam esse Joseph, singulari Dei dono, et per dispensationem omni sermone præstantiorem. Atque in ea virtute continentur quæ de hoc sancto viro dici possunt. Etenim si Gregorio Nazianzeno, ad laudandum uno verbo Gorgoniæ sororis suæ maritum, scribere licuit, orat. 11, in hæc verba: *Vultis uno verbo virum describam? Vir illius, nec enim scio quid amplius dicere necesse sit; quomodo ad laudem sancti Joseph, non multo magis nobis sufficere, dicere: Vir Mariæ? hæc ergo fuit prima ejus prærogativa.*

3. *Joseph Christi pater putativus.* — *Nomen patris Christi quam gloriosum.* — Secundo, hinc factum est ut patris Christi nomen et existimationem obtinuerit, ut constat ex Luc. 3: *Ut putabatur, filius Joseph;* Matth. 11: *Nonne hic est fabri filius?* et Joann. 6: *Nonne hic est filius Joseph?* Advertit autem Augustinus, lib. 2 de Consensu Evangelist., c. 4, licet opinionem parentis solum apud hos habuerit, qui Christi divinitatem et admirabilem conceptionem ignorabant, appellationem vero non ab illis solum, sed etiam ab Evangelista, et ab ipsa etiam B. Virgine accepisse. Lucæ enim 2 dicit B. Virgo: *Pater tuus, et ego, dolentes quærebamus te.* Et Evangelista dicit: *Cum inducerent Jesum parentes ejus; et iterum: Erant pater et mater ejus mirantes super iis quæ dicebantur.* Ex quo intelligi potest, non sine singulari Dei ordinatione no-

men hoc illi esse impositum, quia nec B. Virgo, nec S. Lucas absque speciali Spiritus Sancti instinctu locuti sunt. Propter quod Bernard., hom. 2 in *Missus est*, ex hac patris Christi appellatione conjiciendum existimavit, quis et qualis fuerit B. Joseph. Solent enim nomina sapienter imposita rei dignitatem, naturam vel conditionem in qua fundantur, indicare. Cum ergo æternus Pater summa sapientia et providentia hoc nomen sibi proprium cum hoc viro communicaverit, satis significavit ad quantam dignitatem eum evexerit, cum nomine simul officium et curam paternam, magna ex parte, tribuendo. Quod recte confirmatur et explicatur exemplo. Christus enim Dominus, cum morti esset propinquus, de Joanne Evangelista dixit Virgini: *Mulier, ecce filius tuus.* Ex qua appellatione colligunt omnes Sancti singularem amorem quem Christus ad Joannem habuit, quem tanto honore affectit, ut nomen sibi proprium cum illo communicaverit, non vacuum nomen imponendo (quia opera Dei perfecta sunt), sed eum quodammodo in locum suum substituendo, et erga matrem suam singularem amorem et curam tribuendo. Multo autem excellentior est parentis Christi, quam filii Virginis appellatio, non solum quia patris appellatio majorem auctoritatem præ se fert, sed etiam quia dignitas Christi dignitatem Virginis infinite excedit.

4. *Opera Joseph erga Christum vere paterna.* — *Joseph Christi tutor et Virginis.* — Tertio igitur hinc fit, B. Joseph non solum patris Christi nomen, sed etiam rem quæ huic nomini subest, participasse, quantum, excepta carnali generatione, ab homine participari potest. Itaque habuit affectum, sollicitudinem, et (ut ita dicam) patris auctoritatem. Hinc Damascenus, dicta orat. 3, non longe a fine, dicit Josephum loco patris fuisse assumptum; et Bernard., hom. 3, circa finem, dicit eum fuisse, *servum fidelem et prudentem, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum, ut non immerito illi accommodari possit, quod de alio Joseph scriptum est: Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ.* Hinc etiam Iren., l. 4 contra hæres., c. 40, dicit, postquam monitu Angeli sine ulla hesitatione Joseph credidit Spiritus Sancti mysterium, et Mariam accepit: *In reliqua, inquit, universa Christi educatione gaudens, obsequium præstitit, usque in Ægyptum suscipiens pro-*

fectionem, et inde regressum, et in Nazareth transmigrationem. Hinc denique Rupert., l. 3 de Divin. offic., c. 18, et l. 4 de Gloria et hon. filii hominis, in Matt., circa illa verba: *Jacob autem genuit Joseph, comparans totam illam generationum seriem, scalæ Jacob, inquit, supremum scalæ gradum, cui Dominus innivatus est, fuisse Josephum. Sed quomodo, interrogat, Deus et Dominus huic homini innivatus est? respondet: Utique tanquam tutori pupillus, quippe qui in hoc mundo sine patre natus est, ita innivatus est huic B. Joseph, ut ipse fuerit infantulo pater optimus, cujus solatio paterno puer cum Virgine puerpera sustentaretur. Et eadem fere consideratione Andreas Hierosolym., serm. de Annuntiat., B. Joseph, tutorem Virginis appellat. Addit tandem Augustinus, l. 2 de Consens. Evangel., c. 4, aliam hujus nominis rationem, his verbis: *Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia illum non genuerat, quandoquidem recte pater etiam esse potuit ejus, quem non ex sua conjugate procreatum, aliunde adoptasset.* Per adoptionem enim, etiam is, qui omnino extraneus est, filius efficitur, et qui adoptat, pater vocatur, et suo modo existit; Joseph vero eum, quem sibi conjux, sine ipsius opera, per Spiritus Sancti virtutem genuerat, tanquam dilectissimum filium a Deo datum acceptavit et quodammodo adoptavit, ut propterea nobiliori quadam ratione, quæ imperfectionem excludat, quodammodo filius ejus effectus sit. Nisi velimus dicere Christum elegisse sibi Joseph in patrem, seque quodammodo filium ejus constituisse. Quod alia etiam ratione explicari potest. Per verum enim matrimonium cum Virgine contractum, quodammodo corporis ejus dominus effectus est, quia (ut Paulus inquit) *mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir.* Hinc ergo factum est, ut fructus corporis virginei quodammodo ad Josephum pertinuerit. Ut enim dicitur Institut. de Rerum divisione, § Cum in suo solo, versiculo Ex diverso, *quod in alieno solo nascitur, vel ædificatur, sub illius dominium cadit, cuius est solum.* Unde etiam, si miraculose in horto alicujus fons nasceretur, illius esset cuius est hortus. Quia ergo terra virginea de benedictione Domini concepit, ad Joseph, cuius erat terra, fructus illius benedictionis pertinuit, ut Deut. 33, in benedictionibus Patriarchæ Joseph præfiguratum erat. Adde tandem, virum et uxorem per matrimonii vinculum effici quodammodo unum. Nam, licet per carnalem copulam efficiantur una*

caro, tamen per vinculum ipsum efficiuntur unum cor, una voluntas. Unde fit ut bona habeant quodammodo communia, ita ut quod est sub unius dominio et potestate, ad alterum ex consequenti aliquo modo pertineat. Quia ergo B. Virgo vera fuit mater Christi, non potuit Joseph verus ejus sponsus rationem parentis non participare, carnali semper generatione excepta.

5. *Joseph caput et superior Virginis quomodo fuerit.* — *Christus Josepho quomodo subditus.* — Quarto tandem ex prædicta radice ortum est, ut B. Joseph aliquo modo fuerit caput et superior Virginis, et Christi, ut hominis. Primum patet, quia, teste Apostolo, 1 ad Cor. 11, *caput mulieris vir.* Propter quod Petr., 1 Can., c. 3, præcipit ut *mulieres subditæ sint viris suis, afferens exemplum Saræ, quæ Abrahæ obediebat, eumque dominum suum vocabat, Genes. 18; ergo et B. Virgo agnoscebat et reverebatur sponsum suum tanquam virum et caput suum. Neque obstat quod August., opusc. de Assumpt. Virginis, c. 4, dicit B. Virginem fuisse exemplam ab illa lege: *Sub viri potestate eris; ipse enim se statim explicuit dicens, non fuisse sub potestate viri, id est, mariti, quæ integerrimis visceribus de Spiritu Sancto Christum suscepit.* Ac si diceret, quantum ad usum carnalis copulæ non fuisse sub viri potestate. Adde etiam ex D. Thoma infra, q. 30, art. 2, ad 2, in iis, quæ pertinent ad mysterium Dei cognitionem, et ad privilegia gratiæ suscipienda, non debuisse pendere a viro, nec sub ejus esse potestate; at vero in externis et domesticis rebus, potuit suo modo esse subjecta viro; ad illum enim familiæ gubernatio pertinebat. Unde quando aliquid hujusmodi agendum erat ex divino instinctu, illi fiebat revelatio, ut patet de fuga in Ægyptum, et de reditu ex Ægypto; unde etiam impositio nominis Jesu illi injuncta est, Matt. 1: *Et vocabis nomen ejus Jesum.* Altera pars, quæ ad Christum pertinet, constat ex Luc. 2: *Et erat subditus illis.* Quamquam enim hoc magis significet usum quam debitum, quia revera Christus, propter dignitatem suæ personæ, nulli hominum proprie subjectus fuit, tamen ad dignitatem Joseph declarandam satis est quod, præcise considerata humana conditione et origine, Christus futurus erat jure subditus Joseph, et quod, licet ratione divinitatis esset exemptus, tamen de facto voluit illi esse subjectus, eique tanquam patri ac superiori obedientiam honoremque deferre.*

6. *Amoris vinculum inter Mariam, et Joseph, quale.* — Ex quibus etiam licet intelligere, intercessisse inter Mariam et Joseph, et inter Jesum et Joseph singulare vinculum mutui amoris, ac perfectissimæ amicitiae, quæ intrinsece oriebatur ex dignitate et statu ad quem hic vir assumptus est; pertinet enim ad virtutem et sanctitatem uxoris, ut virum suum diligat, et omne bonum, præsertim animæ, illi exoptet et procuret. Sed Beatissima Virgo in omnibus fuit perfectissima; ergo etiam in hoc amore excelluit. Accedit ratio gratitudinis quæ benefactoribus debetur, et nulla alia re magis quam amore persolvitur. Beatus autem Joseph multa passus est, multosque labores propter Virginem sustinuit, et quidem amore ac voluntate, ut par erat, singulari et maxima; ergo. Tandem accedit morum similitudo, frequens ac diuturna familiaritas et cohabitatio, absque ulla occasione dissidii vel rixæ, quæ non potest non parere summum quemdam amorem, ac benevolentiam mutuam. Quæ rationes eadem fere proportionem in Christo Domino procedunt, tantoque fortius, quanto ille perfectius quam Virgo omnia operabatur. Unde Rupert., lib. 2 in Cant., post med., exponens verba illa c. 2: *Dilectus meus mihi, et ego illi qui pascitur inter lilia: Quæ, inquit, sunt lilia, nisi dilectus sponso Joseph, et ego dilecta, vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima.*

7. Ex his ergo satis constat, quanta fuerit hujus Sancti dignitas, et quam excellens ministerium ejus, et officium, per se et absolute consideratum.

8. *Objectio.* — *Dignitas Joseph quanta.* — Jam vero officium hoc cum aliis conferendo, dubitari potest an hæc dignitas major sit quam dignitas Præcursoris, vel Apostolorum, aut Evangelistarum, quod ad munus et officium attinet, ut gratiam et sanctitatem omittamus, de qua statim. Ratio dubitandi esse potest, quia hoc ministerium Josephi videtur fuisse proxime conjunctum cum ipsamet Christi persona. Item videtur maxime accessisse ad dignitatem matris Dei. Item videtur fuisse aptissimum ad perfectius exercendas omnes actiones vitæ activæ et contemplativæ, quam ullum aliud munus puræ creaturæ, sola Dei matre excepta. De quo enim tam proprie, sicut de Joseph, potest dicere Christus: *Esurivi, et dedistis mihi manducare?* etc. Itaque illud fuit excellens in munere hujus sancti viri, quod omnes fere labores et actiones suas proxime

circa Christi personam exercebat. Unde, sicut peccatum crucifigentium Christum, maximum in suo genere fuit propter personæ dignitatem, ita opera pietatis et beneficentiæ circa personam Christi, in hoc viro fuerunt eximii cujusdam valoris, tanto majori ratione, quanto ipse ex perfecta cognitione et amore illius personæ operabatur. Aliunde vero simul cum hac parte vitæ activæ, habuit statum accommodatissimum ad fruendum meliori parte vitæ contemplativæ. Nam imprimis in matrimonio virginitatem vovit (ut supra vidimus), et talem duxit uxorem, ut sola ejus societas et frequens familiaritas satis esset ad virtutem omnem, et præsertim religionem et pietatem erga Deum addiscendam. Cui si adjungatur diuturna Christi conversatio, frequens et intima, et quasi continua occasio audiendi divina mysteria ex ore ejus, et orandi ad illum et cum illo, nihil certe magis ad perfectionem vitæ contemplativæ desiderari potest. Cum ergo ille status perfectior sit, qui has duas vitas perfectius conjungit, videtur sane status sancti Joseph, et consequenter dignitas ejus et officium, omnibus aliis præferendum.

9. *Dignitas Apostolorum quanta.* — In contrarium vero esse videtur, quia Apostolica dignitas videtur a SS. Patribus omnibus præferri. Unde Anselmus, Matth. 3, de Joanne Baptista dicit, *officio ministerii fuisse minorem Apostolis; majus enim ministerium, inquit, non fuit quam Apostolatus.* Et idem docet D. Thomas eodem loco, Matth. 3. Quomodo interpretantur aliqui verba illa Pauli, ad Rom. 8: *Nos autem primitias Spiritus habentes, nimirum in ministerio et officio, juxta illud ad Ephes. 4: Secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia, etc.* Et potest explicari, quia ministerium Apostolicum videtur esse altioris rationis, magisque spirituale. Ordinum enim fuit quasi ad generandum Christum in mentibus fidelium, et ad procreationem filiorum Dei, qui finis videtur esse altior et elevatior. Unde actiones etiam Apostolici muneris, quatenus ad vitam activam pertinere poterant, altioris ordinis sunt. Quia actiones sancti Joseph pertinebant ad opera misericordiæ corporalia, actiones vero Apostolicæ ad spiritualia. Quod vero spectat ad partem vitæ contemplativæ, necesse est in Apostolis fuisse perfectissimam, quia constituti fuerunt in summo perfectionis gradu, et abundantiam Spiritus omnibus modis acceperunt. Denique, certum videtur ministeria legis gra-

tia attingisse supremum gradum perfectionis et dignitatis; sed in hac lege primus et dignissimus gradus, quem Christus instituit, fuit Apostolicus, juxta illud primæ ad Cor. 12: *Posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, qui propterea, fundamenta Ecclesiæ dicuntur, Apocalyp. 21, et ad Ephes. 2; ergo.*

10. *Responsio.* — *Comparatio inter munus Joseph et Apostolorum.* — In hac comparatione, quam a nemine video satis esse discussam ac declaratam, nihil temere affirmare volo. Probabiliter tamen dici posset, hæc munera esse quodammodo diversorum ordinum, et ideo non posse tam proprie comparari, habere tamen se mutuo sicut excedens et excessum. Sentio equidem Apostolicum munus esse supremum omnium eorum quæ in Ecclesia Christi, prout ab eo in lege gratiæ instituta est, inveniuntur, ut Anselm. supra, et D. Thom., Matth. 3, expresse docuerunt, et testimonia et rationes factæ probant. Nihilominus tamen non existimo improbabile, munus, seu ministerium S. Joseph, quatenus quodammodo est altioris ordinis, posse dici perfectius. Intellego enim quædam esse ministeria præcise pertinentia ad ordinem gratiæ gratum facientis, et in hoc ordine intelligo Apostolos habuisse supremum dignitatis fastigium, et indignuisse fortasse pluribus gratiæ præsertim gratis datæ et sapientiæ donis, quam reliquos. Alia vero sunt ministeria quæ attingunt ordinem unionis hypostaticæ, qui ex suo genere perfectior est, ut de dignitate matris Dei supra diximus, et in hoc ordine intelligo institutum esse ministerium S. Joseph, et esse veluti in infimo gradu illius, et ex hac parte excedere reliqua, tanquam in superiori ordine existens. Unde D. Thom. supra attente dixit, Apostolos esse majores officio novi Testamenti; officium autem Joseph non pertinet ad novum Testamentum, neque proprie ad vetus, sed ad utriusque auctorem, et lapidem angularem, qui fecit utraque unum. Quid vero sentiendum sit de munere Præcursoris comparato ad Apostolicum munus, ex hoc fere discursu intelligi potest, et infra id latius attingemus.

#### SECTIO II.

*Quam sanctitatis perfectionem sanctus Joseph fuerit consecutus.*

1. *Sanctitas Joseph quanta.* — *Ex conversatione Virginis et Jesu, sanctitas Joseph multum aucta.* — Hæc quæstio eisdem modis quibus præcedens tractari potest, scilicet, abso-

lute et comparate. Priori quidem modo solum affirmare possumus, Joseph fuisse perfectissimum ac eximiam sanctitatis virum. Quod facile probari potest. Primo, quia Deus unicuique confert sanctitatem et gratiam ei muneri accommodatam, in quo illum constituit, ut recte docuit D. Thomas, super ad Rom. 8, lect. 5, et nos supra diximus, cum de prima Virginis sanctificatione ageremus. Sed Deus contulit huic Sancto altissimum quoddam munus, ad quod digne exercendum, summa puritate et sanctitate indigebat. Et secundo ita explicatur, quia ante matrimonium cum Virgine contractum, jam erat vir justus et perfectus, ut constat, tum ex verbo illo Mat. 1: *Joseph autem vir ejus cum esset justus; tum ex eo quod Sancti et historiæ supra citatæ referunt, propter summam sanctitatis opinionem judicatum esse idoneum, cui B. Virgo committeretur, idque non absque singulari Spiritus Sancti inspiratione; tum denique ex eo quod usque ad illud tempus integram servavit virginitatem et castitatem, quam postea simul cum Virgine Deo consecravit; at vero dubitari non potest quin post matrimonium cum Virgine, mirum in modum in sanctitate et virtute creverit, cœlestem vitam in terris agens. Unde elegantissime Rupert. Abbas, l. 1 de Gloria et hon. filii hominis, in Matth., circa id: *Joseph, fili David, sic inquit: O conjugium verum et sanctum, conjugium cœleste, non terrenum. Quomodo enim et in quo conjugati fuerunt? nimirum, in eo quod unus spiritus et una fides erat in eis.* Et infra dicit, ideo Christum fuisse de cœlo cœlestem, quia tota conjugum vita sive conjunctio fuit cœlestis, et Spiritus Sanctus, amborum conjugaliter amor, quorum utique conversatio erat in cœlis, in ambobus præsidens, conjugem viri hujus fidei commiserit, et de carne Virginis hominem formans, paternum, viro huic, qui nascebatur infantis amorem penitus infuderit. Unde ulterius intelligitur, post Christum natum, longe majus fuisse Josepho sanctitatis augmentum, tum quia cum Christum probe cognosceret, illius frequenti conversatione, et continua præsentia, ad frequentissimos et ferventissimos charitatis actus excitabatur; tum etiam quia verbis et exemplis Christi plurimum moveri poterat. Nec dubitare licet quin ab eodem fuerit toto illo tempore singulariter præventus et adjutus. Nam, si Christus ipse promisit eum, qui propter nomen ipsius dederit potum aquæ frigidiæ, non perditurum mercedem suam, quomodo dubitari potest quin tot charitati ope-*